

- 23 Afflixit injuriis populum et clerum,
sed de tot injuriis diversarum rerum
ego non conquerer(er), ut jam loquar verum,
nisi mihi carius venderetur merum.
- 24 Ut tyrannis *comitis* exponatur ipsi,
tales versus facio quales nunquam scripsi,
omne ve quod legitur in apocalipsi
ferat, nisi liberet vites ab eclipsi.
- 25 Interim me dominus iuxta psalmum David
regit, et in *pascue clastro* collocavit;
hic michi, non aliis, vinum habundavit,
abbas bonus pastor est, et me bene pavit.

VI.

Archipoeta.

- En habeo versus, te precipiente, reversus,
sit (tibi) frons leta *versus recitante poeta*.
laudibus eternum nullus negat esse *Salernum*,
illuc pro morbis totus circumfluit orbis.
- 5 nec debet sperni, fateor, *doctrina Salerni*,
quamvis exosa michi sit *gens illa dolosa*;
quid sim passus ibi nequit ex toto modo scribi.
Jam febre vexatus nimioque dolore gravatus
hic infirmabar, quod vivere posse negabar,
- 10 et michi dicebant *medici*, qui signa videbant:
'*ecce, poeta, peris, non vives, sed morieris!*'
sed febrem tandem medicina fugavit eandem.
nostri languoris testis tibi sit color oris,
in vultu pallor apparet adhuc, nisi fallor,
- 15 dum sapiens fieri cupio *medicusque videri*
insipiens factus sum mendicare coactus.
nunc mendicorum socius sum, non medicorum,
nudus et incultus cunctis appareo stultus,
pro vili panno sum vilis parque tyranno,
- 20 nec me nudavit ludus neque fur spoliavit,
pro solo victu sic sum spoliatus amictu,

25, 2 cod. reget.

I